

Georg Radow

**Programma, Quo Pro-Rector Universitatis Rostochiensis Georgius Radovius,  
I.U.D. & Codicis Professor. Ordinarius, Ad Piam Devotissimamq[ue]  
Gloriosissimae, Salvatoris Nostri, Resurrectionis Meditationem Omnes omnium  
ordinum Cives Academicos, sedulo, serioq[ue] invitat : [P.P. sub Sigillo Acad. die  
XXVI. Martii A.O.R. M.DC.LXXVI.]**

Rostochii: Kilius, [1676]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735978816>

Druck Freier  Zugang



141. 4  
37

PROGRAMMA,

Quo,

PRO-RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

GEORGIUS RA-  
DOVIUS, I. U. D.

& Codicis Professor. Ordinarius,

Ad

Piam Devotissimamq;

GLORIOSISSIMÆ,

SALVATO-  
RIS NOSTRI,  
RESVRRECTIONIS

Meditationem

Omnes omnium ordinum Cives

Academicos, sedulo, serioq;

invitat.



ROSTOCHII,

Typis viduæ B. JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.

*R.H. - Progr. 1676/6*



Inter anniversarios, quibus divinatorum  
 memoriam beneficiorum publicis celebra-  
 mus conventibus, dies feriatos singulari no-  
 bilitatur eminentiâ illud, quod hodie nobis  
 illuxit, Festum Paschatis, à quo, ut loquitur  
 Imperator Constantinus Magnus apud Euse-  
 bium l. 3. de vita ejus in epistolâ ad Ecclesias;  
*Spem immortalitatis accepimus.* Hic enim ille dies, quo ipsam  
 mortem esse mortuam, nostrumque interiisse interitum læ-  
 titiâ exultamus, ac gaudio triumphamus. Mors enim in eo,  
 unde erat enata, ligno est denata, quando ipsa vita in ligno fuit  
 mortua. Superat sanè atque abundat pectus lætitiâ, quando  
 primogenitus mortuorum eos, quos primogenito hominum,  
 ante etiam quam gigneret, peremerat, ante etiam quam vive-  
 re incepissent, vitæ immortalis restituit. Salve festa dies, quâ  
 Adamigenæ ex eadem, quâ olim venena hausimus, medicinam  
 præsentissimam ex fugimus arbore. *Ubi tuus, Mors, aculeus? ubi  
 tua, inferne, victoria?* Siccine, quæ semper rapinis & funeribus  
 assueta, mors hodie filios vitamque peperisti? ita est: Christi  
 morte mortua, Christi resurrectione & peperisti & contumula-  
 ta es. Dum devorasti, devorata es. Factum mirificissimum  
 à suo mors condemnata reo, à suo subjugata captivo sempiternam  
 servit servitutum. Suis hodie illigata & irretita perditio  
 laqueis, dum decipere parat, supplantata est, dum interficiebat,  
 extincta, & carnem absumptura, absumpta est. *Benedictus  
 Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui juxta copiosam suam  
 misericordiam regenuit nos in spem vivam, per hoc, quod RESUR-  
 REXIT JESUS CHRISTUS EX MORTUIS, in hereditatem im-  
 mortalem & incontaminabilem atque immarcescibilem, conserva-  
 tam in cælis erga nos 1. Pet. 1. Pascha nostrum pro nobis immolatus  
 est Christus 1. Cor. 5. 7.* Neque enim sanguine brutorum nostra  
 peragi

peragi poterat cum Deo reconciliatio: Unde non per sanguinem  
hircorum ac vitulorum, sed per propriam Sanguinem ingressus est  
(Christus) semel in sancta, aeterna redemptione reperta. Hebr. 9. 12.  
& scimus, nos esse redemptos pretioso sanguine velut agni immacu-  
lati & incontaminati Christi 1. Pet. 1. 19. In Veteri Testamento  
sub ipsum ex Ægyptiaca servitute egressum, agnum Deus ma-  
tari jubebat, cujus sanguine in pelvi excepto postes & superli-  
minaria domuum Israelitarum perspergerentur, ut hoc veluti  
signo monitus percussor Angelus transiret sive transiliret a deis  
Israelitarum: in cujus transilitionis nunquam intermoritu-  
ram memoriam singulis subsecuturis annis, mense Abib, face-  
rent  $\text{חֹדֶשׁ}$  Domino Exod. c. 12. & Deut. c. 16. v. 1. Inde jam ab eo  
tempore memoria hujus festi propagata, quamvis variantibus  
appellationibus hæc solennitas fuerit insignita, In Græcâ quip-  
pe V. T. versione loco Pesah ubique fermè legitur  $\text{πασχα}$ , nisi  
quod, monente Casaubono exercitat: XVI, adversus Baroniū,  
decies septies in libro II. Paralipom: pro  $\text{πασχα}$  legitur  $\text{Φασίχ}$ .  
Nec non in N. T. constanter, forte ad imitationē LXX. Interpp.  
legitur  $\text{πασχα}$ , licet Gregor: Nazianz. pud Casaub. nomē  $\text{πασχα}$   
ex nomine  $\text{Φάσχα}$ , literis  $\Phi$  in  $\pi$  &  $\kappa$  in  $\chi$  muratis, formatum es-  
se velit. Latinus tamen interpres sæpissime vertit illud per Pha-  
se. Atq; ob tam frequentem lectionem apud Christianos latinâ  
videtur civitate donata esse vox Pascha, quâ non tantum ipsū  
Christum, qui expressè Pascha nostrum vocatur, & antity-  
pus fuit illius quod sub V. T. immolabatur  $\text{חֹדֶשׁ}$ , sed etiâ ipsam  
festi solennitatem, quam in memoriam liberationis per Chris-  
tum factæ quotannis iteramus, designari volunt. Et quidem  
antiquissimis N. T. temporibus jam tum hujus festi sanctissimi  
autoritas invaluerat; quamvis identidem dissidiis longe lateq;  
serpentibus de legitimo ejus tempore Ecclesia fuerit implicita.  
In Ecclesiâ enim Romanâ primus fertur fuisse Pius, qui, indu-  
ctus Hermetis libro Pastoralis, in quo Angelus hoc in mandatis  
dederat, ut Pascha die Dominico fieret, sanxit, monente hoc  
Cla.

Clarissimo Hildebrando in eruditissimo illo de Sacris publicis tractatu. Adeoq; Latina Ecclesia videri volebat sequi traditionem Apostolorum, Petri & Pauli, ad cuius tenorem Pascha celebrandum erat non nisi die Dominicâ, quæ proximè Pascha Judæorum insequeretur, præcipuè cum, Paschate V. T. sublato, Pascha N. T. in memoriam immolati in cruce Jesu Christi, & ex mortuis resurgentis, celebrandum esset, cum quo in ipsa die Dominica omnis Christianorum spes simul resurrexerit. Contra verò Ecclesia Christi in Asia nolebat à consuetudo in V. T. die recedere, adeoq; contendebat, eodem plane cum Judæis die, luna sc. decimâ quarta, in ipso plenilunio, circa æquinoctium vernum, festum Paschatis agitandum esse. Et ne sine rationibus hanc defensare sententiam videretur, urfit præcipuè ipsâ institutionem Dominicam, vi cuius Exodi 12. & Deut. 16. Decimus quartus dies mensis Abib, Immolationi agni Paschalis consecratus erat, in cuius m. vespera Christus Sacramentum N. T. comestionem corporis & bibitionem sanguinis sui instituit. Quorsum accedebat traditio, quam ab ipso Johanne Evangelista & Philippo Diacono arcessabant. Hanc jam sua ætate tenebat Polycarpus, qui ab Apostolis edoctus, cum multis conversatus ex iis, qui Dominum nostrum viderant, & etiam ab Apostolis in Asiâ, in eâ quæ est Smyrnis Ecclesia, constitutus erat Episcopus, apud Eusebium hist. Eccles. l. 5. c. 26. dum Anicetus Episcopus Romanus Polycarpo suadere non poterat, ne servaret, quæ cum Joanne discipulo Domini nostri, ac reliquis Apostolis, quibus cum fuerat conversatus, semper servaverat. Neque tamen tantum tunc temporis æstimabantur hæc divortia, ut pacis ac concordie vinculum rumperent, donec tandem exeunte seculo II. Victor, Episcopus Romanus, paulo acerbius in secus sentientes insurgeret, & ut loquitur Euseb. ex versione Musculi, l. c. 25. totius Asia Paroecias, unâ cum vicinis Ecclesiis, tanquam aliena sentientes, à communionis unitate abscindere conaretur, invehereque in eas per literas, ac cunctos illic fratres prorsus excommunicatos denunciaret. Ceterum nec omnibus il-

lud

Iud Episcopis placebat, qui aliàs in eadẽ cum Victore erant  
sententiã, sed potius eum hortabantur, ut, quæ pacis, unitatis & di-  
lectionis cum proximis essent, sentiret. Nec defuerunt, qui Victo-  
rẽ acriter reprehenderent, inter quos præcipuè eminebat Ire-  
næus, Episcopus Lugdunensis in Galliã. Præterea etiam Poly-  
crates, qui præerat Episcopis per Asiam peculiari scripto, ad Vi-  
ctorem, Romanamque Ecclesiam exarato, ostendit, Philippum  
unum ex XII. Apostolis, Joannem, qui ad pectus Domini re-  
cubuit, Polycarpum, & alios, quartã decimã lunã Pascha se-  
cundum Evangelium celebrasse, nusquã exorbitantes, sed fidei  
canonem sequentes, uti fufius acta hæc apud Eusebium lib. 5.  
hist. Eccles. ac. 22. videri possunt. Horum dissidiorum semina  
nullã arte poterant evelli, sed cum ipsis annorum incremen-  
tis tacita semper nanciscebantur augmenta, donec tandem se-  
culo 4. Imperator Constantinus Magnus discordiarum segetem  
à radicibus eversum iret. Quæ de re ita Euseb. lib. 3. de vita  
Constantini Imper. *Obtinnerat difficillimus ac jam longo tempore  
obturbandus morbus, dissensio videlicet de salutaris Paschatis festo, eò  
quod alii judaicam sequendam esse consuetudinem, alii convenien-  
tius esse dicerent, ut accuratũ temporis momentum servetur, neq; co-  
rũ imitatio usurpetur, qui & errant, & alieni sunt ab Evangelica gra-  
tia.* Motis hisce controversiis & confusionib; divinarum con-  
stitutionum, solus inter eos, qui terram incolebant, Constantinus  
comparuit, qui Deo ad bona hæc perficienda ministraret. Collectã  
igitur Synodo œcumenica, convocatisq; Episcopis, Presbyteris,  
Diaconis, & aliis, Nicæam Bithyniæ, in consessu publico ipse Im-  
perator ad concordiam omnes serio & amanter hortatur, nec  
prius desistit, donec, ut loquitur Eusebius, eos in omnibus, de qui-  
bus erat controversia, unanimes & consentientes redderet, ita ut fides  
consona obtineret, & idem salutaris festi tempus cunctis profiterentur.  
Deinde, in quo convenerint præsentis in concilio, aliis absenti-  
bus per literas significandum curavit. Ita verò de tempore hujus  
festi habent verba: *De sanctissimo Paschatis die communi senten-*

*tiæ. De sanctissimo Paschatis die communi senten-*

ita equum visum est, ut hunc cuncti uno ubique die celebrent. Indignum videbatur sanctissimum hoc festum ex imitatione iudaica consuetudinis celebrare, cum Judaei manus infando scelere conpersi, meritoq; scelesti, animis sint obcaecatis, &c. Obtinuit itaque in hoc Concilio CCCXVIII. Episcoporum, exceptis Presbyteris & Diaconis, victoriam Occidentalis Ecclesiae, & qui ab ea hoc in passu dissentirent, dicti fuerunt *Quartadecimani*, canonesque hi inter alios fuere constituti.

1. *Vigésimus primus dies Martii semper habeatur pro die aequinoctii* qui tamen dies non potuit observari propter æquinoctiorum variationem, cum vel hoc anno æquinoctium vernum in diem nonum Martii incidit.

2. *Plenilunium incidens in 21. Martii, vel proxime sequens, haberi debet pro plenilunio Nisan.*

3. *Dies Dominica, qua proxime sequitur illud plenilunium, sit ipsa dies Pascha.*

4. *Si tamen decima quarta luna incidat in Dominicam, octiduo post Pascha celebretur, ne scilicet unquam cum Hebraeorum paschate concurrere possit.* Juxta quas constitutiones hodiernum nostrum pascha ita inquiritur. Anno 1676. æquinoctium vernum incidit in nonum Martii. St. V. Plenilunium proxime sequens incidit in 19. Martii, adeoque habetur pro plenilunio Nisan. Hoc plenilunium proxime sequitur dies Dominica vigesimo sexto Martii. Ergo nostrum hoc Pascha constitutionibus Concilii Niceni convenienter hodie 26. Martii celebratur. Sed hæc sufficiant de historia temporum Paschatis N. T. modo unicum adhuc observetur. Duo erant Sacramenta V. T. Circumcisio, & Agnus Paschalis, utrumque præfigurabat Christum, adeoque sub adventum Christi expirare debebat. Circumcisio igitur illico à Christo nato, postquam circumcisus esset, est sublata. Agnus verò paschalis à Christo jam jam morituro fuit sublatus, postquam ultimum pascha judæorum celebrasset. Aliud verò Pascha instituit, quod vocant *συνήσθημον* i. e. crucifigibile, in cujus vigilia ipse crucifixus est, & quod est illud, quod Græci con-

tendebant eodem cum Judæis die esse agendum. Postquam ve-  
rò Ecclesia suum Pascha non nisi die Dominica agitare voluit,  
factum est, ut differentiæ causâ hoc, quod celebramus, dicatur  
*ἀναστόμωρ*, quia in talem incidit diem, quo Christus à mortuis  
resurrexit. Hoc igitur est illud Pascha nostrum N. T. ad quod  
concordi omnino discordiâ pleraq; in paschate V. T. præfigu-  
randū erant instituta. Præmulgabatur Lex de paschate agendo in  
V. T. paulò ante egressū ex Ægypto Anno M. 2483. ante Christū  
1495. & statim in mense Abib, qui partim nostrum Martio, partim  
Apr. respondet, die decimo separabatur agnū à grege, & asserva-  
batur usq; ad diē 14. Abib. qui respondebat nostro 14. Aprilis, sic  
uti numerū Calvisius in opere Chronolog: Agnus ille per-  
fectus, masculus & filius anni seligebatur, ita, ut anni spatiū nō  
excederet, quamvis minor anno esset, superaret tamē octiduū,  
ut colligitur ex Exod. 22. 30. & Lev. 22. 27. Singulæ domus, si pares  
essent, agnum, sin minus, vicinus in consortium advocabatur,  
ut numerus convivarū comestioni agni sufficeret, mactabant.  
Quælibet societas die decimo quarto Abib intra vespertas duas  
mactabat, quarum altera 14. diem finiret, altera 15. inciperet.  
Has vespertas diversimode adsignant; alii eas definiunt spatio,  
quod inter horam sextā & noctem intercedit, alii tempus con-  
stituunt inter septimam vespertinam, & initium noctis; alii  
ab horâ nostrâ 3tia pomeridianâ incipiunt, alii deniq; simplici-  
ter intelligunt vespertā, quomodo etiā Deut. 16. v. 6. determina-  
tur. Mactati sanguine pateris excepto, beneficio fasciculi hyssopi,  
postes & superliminaria domuū perspergebantur, ut sangui-  
nis signo percussor moneretur. Angelus, ut Israelitarum do-  
mus transiret, ipsorumque primogenitis parceret. Ceterum  
prohibebantur *edere carnem crudam, aut coquendo coctam in a-  
quis, assam vero igni, & in fermentata super amaritudines jubeban-  
tur comedere* ut vel plane nihil in repotia reliqui maneret, vel  
si quid relictum fuisset, illud vehementiâ flammæ consumere-  
tur. Pascha nostrum pari modo institutum fuit sub egressum  
nostrum ex captivitate Diabolitâ: eodem mense & die Christus

Hierosolimam introiit, & ultimum Pascha celebravit. Christus est ille agnus Dei qui tollit peccata mundi. Joh. 1. 29. maculus, & virtute infinita qua nos redimeret, præditus, agnus ille immaculatus & incontaminatus 1. Pet. 1. 19. cujus caro optimus animæ nostræ cibus; destinatus ab æterno ad munus Redemptionis & 4to sui ministerii anno, eodem die mensis Abib, sc. 10. Hierosolimam ingressus, ut scilicet agnum Deo immolandum. Postea victus, in crucem actus & mactatus, donec circa tertiam pomeridianam, Judæorum nonam, eadem qua agnus mactabatur hora, animam effaret suam. Sanguine ejus nostræ perspectæ animæ à periculo mortis æternæ sunt liberatæ Assabatur hic agnus vehementia ætatis iræ divinæ, & ne quid deesset, quo exactissime responderet agno Paschali, præter morem crura ejus non sunt contracta. Sic igitur *particeps factus est carnis & sanguinis, ut per mortem aholeret eum, qui mortis habebat imperium, & liberos redderet eos, quicumq; metu mortis per omnem vitam obnoxii erant servituti* Hebr. 2. 14. Sic commendavit suam charitatem erga nos Deus, quod, cum essemus adhuc peccatores, Christus pro nobis mortuus fuit. Ceterum, Cives optimi, præcipue ex parte comedentium requirebatur omnis fermenti absentia: *Omnis comedens fermentatum, excidetur anima ipsa ex Israel, à die primo usq; ad diem septimum* Exod. 12. v. 15. cf. Exod. c. 13. v. 7. Vi cujus Judæi, Teste Buxtorffio in Synagog. Jud. c. 12. duobus vel tribus ante Pascha diebus omnia vasa omnemq; domesticam supellestem, verrere, abstergere, & purgare incipiunt. Nocte vero ante Paschatis pervigilium, quilibet Pater familias, ut panem fermentatum perquirat & offerat, scutellam capit cum periculo, candelamq; ceream accendit imò jundis in ministerium aliis, omnes murium serbeculas & rimas diligenterrimantur, ut videant, num forte mures micam panis uspiant detulerint quam non perederint. Deinde nec immundi admittentur ad comestionem agni Paschalis, ut colligitur ex Num. 9. v. 6. deniq; etiam cum amaritudinibus comedi debebat, per quas intelliguntur embammata herbarum amarissimarum, vel etiam herbe amatissima, quæ simul cum azymis aceto intingebantur in memoriâ amarissima illius, quâ in Ægypto servierant servitutem. Abstinetes igitur ab omni fermento peccatorum, ut in omni vitâ, ita præcipue hisce diebus sacratissimis. Audite Apostolum: *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova farina aqua sabasta, sicut estis infermentati. Nam & Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus. Itaque festum celebremus non in fermento malitiæ & versutiæ, sed in panibus fermento carentibus sinceritatis & veritatis* 1. Cor. 5. Pristinæ vestræ conditionis, peccatorum & servitutis amaritatem vobis subjicite, & memori mente versate. Mundi ad sacra hæc properate, absint profani, facessant sepulchra de albata, procul sint Canes quæ ad vomitum. Fastidium peccandi incredibilis perpetratorum amaror inducat, cum resurgente Christo à mortuis resurgite, in hoc victore vincite & triumphate, ut tandem æternum nonquam morituri vivatis.

P. P. sub Sigillo Acad. die XXVI. Martii. A. O. R. M. DC. LXXVI.

tendebant eodem cum Judæis die esse agen-  
rò Ecclesia suum Pascha non nisi die Domini  
factum est, ut differentia causa hoc, quod  
*èvasiorum*, quia in talem incidit diem, quo  
resurrexit. Hoc igitur est illud Pascha nos-  
concordi omnino discordia pleraque in pasch-  
randum erant instituta. Pro mulgatur Lex de  
V. T. paulò ante egressum ex Ægypto Anno M  
1495. & statim in mense Abib, qui partim no-  
Apr. respondet, die decimo separatur agnus  
batur usque ad diem 14. Abib, qui respondebat  
uti numerum Calvisius in opere Chronol-  
fectus, masculus & filius anni seligebatur, ita  
excederet, quamvis minor anno esset, super-  
ut colligitur ex Exod. 22. 30. & Lev. 22. 27. Sing-  
essent, agnum, sin minus, vicinus in consortio  
ut numerus convivarum comestioni agni suffi-  
Qualibet societas die decimo quarto Abib  
mactabat, quarum altera 14. diem finiret,  
Has vespersas diversimode adsignant; alii  
quod inter horam sextam & noctem interced-  
stituant inter septimam vespertinam, &  
ab hora nostra tertia pomeridianam incipiunt,  
ter intelligunt vespere, quomodo etiam Deut-  
tur. mactati sanguine pateris excepto, bene-  
pi, postes & superliminaria domuum persperg-  
nis signo percussor moneretur. Angelus, i-  
mus transiret, ipsorumque primogenitis pro-  
prohibebantur *edere carnem crudam, aut co-*  
*quis; assam vero igni, & infermentata super an-*  
*tur comedere ut vel plane nihil in repotia re-*  
si quid relictum fuisset, illud vehementiam fi-  
tur. Pascha nostrum pari modo institutum  
nostrum ex captivitate Diabolica; eodem

